



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 230. An depositarius in periculo naufragii, incendii &c. possit præferreres proprias alienis apud se depositis, si utrasque eripere nequit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

depositam penes Ecclesiam, adeoque eam non teneri ad restitutionem, qualiter tamen & cur adhuc locus sit compositioni amabili seu transactioni (quæ aliàs fieri non debet, nisi super re dubia seu lite incerta) nimirum Pontifice in *cit. c. 1.* sic suadente, adeoque specialiter concedente (cum aliàs Prælati renunciare non possit exceptioni in tali casu competenti Ecclesiæ) vide apud Pirh. *b. t. num. 15.*

Quest. 229. An potestas laica cogere possit Clericum ad restituendum depositum?

R Esp. Non convenire in hoc AA. clericum interpellatum, differentem reddere depositum posse compelli à Judice Laico ad illud restituendum, quoties se in tribunali Judicis secularis ad hoc obligavit, tenent Bald. Salicet. Jason. Aufrelius. Farinac. Tusch. Gutt. Salgad. & plures alii citati à Delben. *de immunit. Eccles. c. 4. du. 21. num. 1.* hac potissimum nixi ratione, quòd renuens seu differens reddere depositum non tantum teneatur actione civili, sed etiam ut fur, spoliator & turbator coercendus, notamque infamiam incurrat. *L. qui furtum. ff. de condit. furti. L. si sacculum. ff. b. t. §. 1. 3. C. eod.* deponens interim maneat in possessione naturali & civili, dum se non habet pro spoliato, ac proinde causa hæc sit possessoria, possessionis nimirum retinendæ vel recuperandæ, si ac spoliatus à depositario, ac consequenter contra illum remedia possessoria possint intentari fitur contra quemlibet furem, si dominus velit, civiliter agere; atque ita per Judicem etiam seculari, cujus munus sit, ne violenta spoliatio nes fiant impedire, ut Afflicti in §. sed & furti. *Inst. de action. decis. 24. n. 3.* inde deducens, posse per eum cogi Clericos ad fidem depositi servandam; & sic, dum depositio facta autoritate, beneficio vel provisione Judicis Laici, ejusdem officii sit, detentionem, quâ illud depositum detinet, revocare. Nihilominus contrarium docent Bellet. in *Disquis. Cler. p. 1. tit. 3. n. 37.* Bonac. *de LL. d. 10. q. 2. p. 1. §. 1. n. 26.* Ambrosin. *de immunit. Eccl. c. 20. n. 53.* Duard. in *Bull. can. l. 2. can. 15. q. 11. n. 56.* Surd. *l. 2. conf. 369. num. 33.* Ricc. *resol. 505.* Marth. *de jurisd. p. 4. centur. 2. cas. 104. n. 4.* Cavall. *tr. de cognit. per viam. viol. p. 2. q. 26. n. 16.* & alii, quos citat & sequitur Delben. *l. c. n. 3.* quorum duos posteriores ait admittere, adversariorum sententiam esse probabilem, quò ad causæ cognitionem, non tamen admittere illam quò ad executionem; & sic Judicem Laicum posse declarare, quòd persona ecclesiastica debeat depositum reddere, non posse tamen hujus suæ sententiæ executionem contra illam exercere. Ut id ipsum probabile esse ob dictos adversariorum rationes ait Delben. *num. 11.* De cætero quòd spectat ad pœnam, quæ propter depositi negationem incurritur ab Ecclesiastico, item quatenus spectat ad criminalem animadversionem pertinere ad Judicem Ecclesiasticum, consentire omnes dicit Idem *n. 12.* Neque his obstat, quòd dicit Papa *c. 1. h. t. illum iniquum Clericum* (intellige, negantem depositum) *sub questionibus ponant. etiamsi oportuerit vinculis allegatum:* Nam licet exinde deducant Abb. in idem *c. n. 7.* Clarus *§. fin. q. 64. n. 24.* talem Clericum jure torqueri posse, aliis negantibus ibi agi de tortura, sed verba illa: *Sub questionibus idem quòd interrogationibus* denotare, & verbis: *Vinculis alligatum:* significari, eum carceris & vinculorum coercitione com-

pellendum ad restitutionem, ut Barbof. in *cit. c. n. 7.* & Gonz. *n. 3.* apud Wiestn. *b. t. n. 20.* nihil tamen ibi dicitur de tali executione faciendâ per Judicem seculari; cum etiam hæc fieri possint per Judicem Ecclesiasticum.

Quest. 230. An depositarius in periculo naufragii, incendii &c. possit præferre res proprias alienis apud se depositis, dum utrasque eripere nequit?

R Esp. Satis de hoc dictum ex de Lugo supra *tit. preced.* eadem enim ferè omnia, quæ hoc in puncto dicta de commodatario, applicari possunt depositario, reflectendo tamen semper ad hoc, quòd depositarius, quia nihil utilitatis percipit ex deposito, non obligatur ad talem tantamque diligentiam circa custodiam rei depositæ adhibendam ad quantum obligatur commodatarius. Vide etiam Pirh. *b. t. num. 16.*

Quest. 231. Qualis ex deposito pariatur & competat actio deponenti?

R Esp. Oritur ex eo actio duplex, directa & contraria. Directa est actio personalis competens deponenti adversus depositarium ad rem depositam recuperandam, §. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. oblig.* estque civilis. Mull. *ad Stru. in ff. b. t. th. 38. lit. a.* Lauterb. *ibid. §. 10.* bonæ fidei. §. 28. *Inst. de act. AA. iidem;* perpetua. *l. 8. ff. b. t. iidem;* & regulariter rei prosecutoria. §. 17. *Inst. de act. interdum per accidens pœnalis mixta. l. 1. §. 1. 18. b. t. iidem;* interdum famosa. *l. 1. ff. de his qui not. infam. l. 10. C. h. t. dum is,* qui moratur reddere depositum, patitur se per Judicis sententiam ad restitutionem compelli & condemnari, per hoc infamiam redditur. Muller *l. c. ut 6.* Lauterb. *l. c. unde etiam, ut iidem, cum Carpz. p. 4. conf. 45. de fin. 10.* & aliis ex collegio opificum excludi potest. Limitat hoc ipsum Lauterb. *l. c. modò in specie ob dolum & perfidiam* (quo nomine denotatur non dolus simplex, sed is, qui rupta fide committitur, ut propterea improbus & iniquus dicatur) condemnatus sit, ita ut in ipsa sententia perfidiæ fiat mentio *l. 6. §. 2. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Item, ut Muller. modò condemnatur nomine proprio tanquam depositarius, & non alieno nomine tanquam procurator, tutor aut curator depositarii. *L. 10. C. h. t. & cit. l. 6.* habetque hæc infamia locum non nisi post condemnationem. Mull. *l. c. citans Stryk. de cautel. contrab. sect. 2. c. 3. §. 14.* quam ut evitet depositarius, sollicitum esse eum debere, ut ante sententiam tranfigat cum deponente, vel ei privatim satisfaciatur, vel dolum purget, vel clausulam famæ reservatoriam sententiæ inseri impetret à Judice, monet Muller. *l. c.* Porro cum hac actione plures aliæ sæpe concurrunt; de quibus vide Mull. *th. 42. lit. n.* Competit hæc actio principaliter ipsi deponenti, non attenta patria potestate. *l. 9. ff. b. t. & si plures rem deposuerint communem, competit singulis pro rata. l. 1. §. 4. 4. l. 17. ff. b. t.* Muller. *loc. cit. th. 39. lit. a.* Lauterb. §. 21. nisi, ut iidem juxta *cit. §. 44.* cum Mantic. *de tac. & ambig. convent. l. 10. tit. 7. n. 1.* conventum sit contrarium, nimirum ut singuli in solidum agere possint, & cuius deponentium, etiam reliquis absentibus, restitui possit; quale pactum adici suadet Mull. ne aliàs repetitio depositi reddatur difficilis, dum fortè rarò contingeret omnes præsentibus esse. Competit quoque ea hæredibus deponentis, & si sint eorum plures, singulis cum proportione hæreditatis.